Natalicia

Principis generosissimi

Friderici Guilielmi IV.

die XV. Octbr. anni MDCCCLVIII

pie celebranda

indicunt

Academiae Albertinae

Prorector et Senatus.



Regimonti,

Typis Academicis Dalkowskianis.

Nomina
civium academicorum
qui
praemia quaestionibus literariis superiore anno proposita meruerunt.

Facultas Theologorum

E. F. W. Pauly praemium addixit primarium.

C. A. Richter secundarium.

Facultas Jurisdicorum

F. F. A. Muther, E. J. H. Steffenhagen, B. W. G. Stolterfoth praemiis primi ordinis ornavit omnes, C. L. Thiele assignavit secundarium.

Facultas Medicorum

nullum invenit praemii competitorem.

Facultas Philosophorum

duplici praemio ornavit A. O. E. Meyer stud philos. et A. Schwarz stud. philol

C. J. H Lampe stud. math. simplici.

Dissertationis

de vocabulis Homericis quae in alterutro carmine non inveniuntur

PARS PRIOR.

Utrum eadem oratione usi sint Iliadis atque Odysseae poetae an diversa, adhuc inter viros doctos qui in studiis Homericis versantur, in controversia est. Ac multi quidem inter elocutionem utriusque carminis non modo differre aliquantum sibi persuasere, sed etiam his discrepantiis tempora diversa prodi probatum iverunt. Ut autem demonstrent quantum inter se distent Ilias et Odyssea orationis colore et conformatione, duo argumenta afferre solent. Primum esse non pauca vocabula in altero carmine celebratissima in altero inaudita; deinde nonnulla in Odyssea aut aliam potestatem habere atque in Iliade aut aliam rationem syntacticam. Sed qui hunc locum adhuc attigerunt, omnes rem strinxerunt tantum, nemo dedita opera orationem utriusque carminis comparavit. Unde factum est ut praeter observationes singulas neque inter se connexas nihil dum allatum sit ad quaestionem gravissimam solvendam. Quatenus veteres chorizontes huic argumentationis generi institerint nescimus, quoniam in antiquis scholiorum collectionibus non exstant nisi minutissimae ac rarissimae ejusmodi observationum reliquiae, velut quod Aristarchus observavit de *προπάροιθε* K 476 et alibi (Lehrs Aristarch. p. 121.). cf. eundem de *δμιλος* disserentem K 338 (ibid. p. 147.) et de usu vocabulorum vilium utrique carmini communi Λ 147. E recentioribus multa huc pertinentia congessit, qui postea sententiam retractavit vir de studiis Homericis optime meritus G. W. Nitzschius in dissertatione de Odyssea quae Erschii et Gruberi Encyclopaediae inserta

est et alibi. Praeterea satis erit nominasse Buttmannum, qui v. c. primus observavit *χραισμεῖν* in Iliade undevicies legi, in Odyssea nusquam (Lexil. I. 8.), item *ἑανός* Iliadi peculiare esse (II. 9.) *).

Equidem mihi hoc loco priorem hujus quaestionis partem tractandam proposui quae est de vocabulis Homericis ab alterutro carmine exsulantibus. Qua de re quum recte judicari nequeat nisi omnibus exemplis collectis, operae pretium duxi e Seberi indice Homerico omnia ad unum vocabula excerpere quae in altero carmine frequentia sunt, in altero aut numquam inveniuntur aut in versibus aperte translatis vel spuriis aut rarissime. Quorum autem in Iliade pauca tantum exempla sunt in Odyssea nulla et retro, ea plerumque enotare supersedi, quoniam ejusmodi differentiae explicatione non indigent. In exemplorum summis colligendis sedulo operam dedi ne erroribus implicarer, quamquam opinor excusandus ero si in labore taedii pleno non omnia peccata vitavero. Ceterum in hac re rationem saepe constare non posse in aperto est, quum Seberus plurimos locos Homericos aliter legerit ac nos hodie. Et est ubi in calculo subducendo lectionis mutatae rationem habuerim, attamen id et raro factum est neque dedita opera. Sed qui ex eo fonte in rationes meas necessario fluxerunt errores, ii nullam in hac re momentum faciunt. Nimirum utrum aliqua vox in altero carmine tricies legatur an tricies semel triciesve bis, quae in altero aut uno loco legitur aut nullo, nihil refert.

Quot locis vocabula in utroque carmine inveniantur, duobus numeris indicabo minima distinctione secretis, quorum prior exempla Iliadis notabit, posterior Odysseae. Velut *ἀγακλεής* 5, 0 significabit hanc vocem quinquies in Iliade legi numquam in Odyssea, *ἁγνός* 0, 5 quinquies in Odyssea numquam in Iliade, *αἰχμητής* 24, 4 vicies quater in Iliade quater in Odyssea, et sic porro.

Quid hac tota inquisitione peracta efficiatur, statim dicam. Efficitur enim, has discrepantias inter dictionem utriusque carminis longe maximam partem ab argumenti

*) Quod attulit Hoffmannus in praef. Quaest. Hom. p. 27. *φάεα* de oculis non dici nisi in Odyssea id levidense est, nam ejus usus non amplius tria exempla inveniuntur. Rectissime autem schol. Harl. ι 48: *ἐπισημαίνονται δὲ Ἰλιάδι γείτονα μὴ ὠνομάσθαι ἐν δὲ Ὀδυσσείᾳ νῦν τε κἀκεῖ ὡς οἱ μὲν δαίνυντο — γείτονες ἠδὲ ἔται Μενελάου. ἴσως δὲ οὐδὲ ἐπῆλθεν αὐτῷ χρεία ἐν Ἰλιάδ, ἐνταῦθα δὲ περιέστη καιρός.*

diversitate derivandas, quod restet casui esse tribuendum. Qui autem reputaverit non modo utrique carmini diversissimam subjectam esse materiam sed etiam utrumque suae materiae se continere quasi finibus, is non mirabitur in alterutro plurima reperiri quae in altero desint. Tota Iliade campum illum patentem in oculis habemus hic Trojae muris illic Achivorum castris terminatum, quorum tentoria muris turrigeris fossa vallo munita sunt. Undique ut cum latino Iliadis epitomatore dicam consurgunt acies, horrendisque sonat clamoribus aether,

Et modo Trojanis virtus modo crescit Achivis
Laetaque per varios petitur victoria casus.

Spectamus duces agminum galea scuto ocreis armatos, de curribus se invicem petentes; ingentes hastae volant longam projicientes umbram, transverberati hi proni ruunt illi supini, cadentium arma concutiuntur cum magno fragore, stratis victores arma detrahunt, terra ut ait Ennius, sudat sanguine. In Odyssea alia omnia. Aut enim extra orbem notum abripimur ut speciosa stupeamus maris longinqui miracula navigantiumque angimur periculis, sive ad insulas orasque terrorum plenas appelluntur sive laborant magnis turbantibus aequora ventis. Aut in domus regum introducimur argento fulgenti auroque renidentes citharis reboantes ubi laeti convivantes epulis jucunde corpora curant, hospitesque fessi appropinquntes a matronis cibo balneisque foventur. In tanta rerum diversitate verba non posse non diversa esse per se patet. Sin autem quod rarissime factum est, alterum carmen fines suos transgreditur et in argumento quod alteri proprium est exspatiatur, cum rebus illic narratis etiam verba illic usitata adsciscuntur.

Ea vocabula quae in altero carmine frequentia sunt in altero aut raro aut numquam adhibentur, maximam partem nomina sunt sive substantiva sive adjectiva. Verba non multa enumerari possunt quae aut sola Ilias habeat aut sola Odyssea, ex reliquis partibus orationis paucissima huc pertinent. Priusquam autem, id quod proposui, recenseam singula, est quod moneam de adjectivis quae usu constanti certis substantivis apponuntur. Multa enim substantiva quum in utroque carmine inveniantur, ut tamen in altero longe longeque frequentiora sint: epitheta illa solita saepe in hoc tantum admittuntur in quo substantiva iterum

iterumque redeunt. Velut quum omnia verba pugnam significantia in Iliade potissimum celebrari consentaneum est, tum vocabulum *μάχη*, ut tamen etiam in Odyssea non raro usurpetur: sed epitheton *κυδιάνειρα* quod in Iliade octies appositum est *), in Odyssea ne semel quidem legitur. Nimirum quo frequentius aliquod substantivum requiritur, eo saepius occasio fit epitheti adjiciendi aut ornatus accuratiorisve definitionis causa aut ut versus compleatur. Ejusmodi binorum vocabularum conjunctiones postquam in formulas abiere, nonnumquam certos versuum locos occupare amant, maxime clausulas ut *μαχη* ⏑ ⏑ *κυδιανειρα.* Ceterum de hoc toto genere non ita statuendum est, quasi poetae epici leges quasdam sibi scripserint quas nefas habuerint perrumpere. Nam non multa epitheta afferri possunt, in quorum usu non semel vel iterum a solita ratione discessum sit: qua de re dixi in Schneidewinii Philologo Vol. VI. p. 247. Sed redeo ad epitheta in altero carmine tantum adhibita in quo substantiva quibus apponuntur frequentiora sunt. De equis in Odyssea hic illic sermo est, in Iliade vix ullum vocabulum saepius legitur quam *ἵππος*, unde epitheta equorum fere soli Iliadi propria sunt: *ὠκύποδες* 11, **) 2. (*σ* 262 *φ* 245) *μώνυχες* 32, 1 (*ο* 46) *ἐριαύχενες* 5, 0, *ὑψηχέες* bis tantum vocantur *E* 772 et *Ψ* 27, ubi A: *γράφεται λύοντο δὲ μώνυχας ἵππους.* Ceterum nullum horum adjectivorum cum alio substantivo conjungitur. *Ἀλκή* etiam in Odyssea aliquoties usurpatum est, ut tamen in clausulam in Iliade celebratissimam *θούριδος ἀλκῆς* unum tantum hemistichium exeat ex Iliade expressum *μνήσαντο δὲ θούριδος ἀλκῆς δ* 527. Quum autem *θοῦρις* raro dicatur nisi cum *ἀλκή* conjunctum (nam de viginti sex Iliadis exemplis viginti tria hanc conjunctionem exhibent) non mirum est in Odyssea hoc epitheton praeter illum unum locum non inveniri. Contra nonnulla adjectiva quae aut in mari describendo aut in rebus domesticis enarrandis locum habent, in Iliade aut raro leguntur aut nusquam. Et *ἀτρύγετος* quidem, quod in Odyssea duodecies reperitur vocabulis *ἅλς θάλασσα πόντος* appositum, in Iliade quoque quater cum iisdem conjunctum est et semel cum *αἰθήρ P* 425. Sed *ἁλμυρός* quod qualitatem aquae marinae significat Odyssea sola habet (0, 8), item omnia insularum attributa: *εὐδείελος* 0, 7 (sexies cum

---

*) Praeterea semel *ἀγορῇ κυδιάνειρα* A 490.

**) Seberus decem tantum exempla enumerat, omisit enim M 51.

Ἰθάκη, semel cum νῆσος conjunctum) ἀμφίαλος 0, 5 (casus tulit ut non dictum sit nisi de Ithaca) ἀμφίρυτος 0, 4 (ter cum νῆσος, semel cum Δῖα). Contra ἐρίδουπος quod in Odyssea substantivo αἴθουσα adhaerere solet (nam uno tantum loco legitur ποταμοὶ ἐρίδουποι K. 515, αἴθουσα ἐρίδουπος septem *) casu factum est ut semel etiam in Iliade adhibitum sit ἀκτάων ἐριδούπων Υ 50, nam versus Ω 323 ἐκ δ' ἔλασε προθύροιο καὶ αἰθούσης ἐριδούπου ex ο 146 sive 191 expressus est. Possum plura afferre, sed usum adjectivorum ab usu substantivorum pendere, affatim demonstrasse mihi videor.

In recensendis vocabulis Homericis, quae in hoc genus cadunt ab iis initium faciam quae bellum et pugnas omniaque pugnis et bello accidentia significant: quorum pleraque Iliadi propria et peculiaria esse consentaneum est. Horum id quod omnia pugnarum genera comprehendit μάχη a sermone Odysseae minime abesse supra dixi, sed absunt composita ἀγχέμαχος 4, 0 et ἀγχιμαχητής 7, 0; quoniam viros cominus pugnantes memorandi ibi nulla occasio est. Multo rariores quam μάχη in Odyssea eae voces sunt, quae certas quasdam pugnarum species vel qualitates indicant, velut ὑσμίνη cujus Seberus triginta sex exempla ex Iliade attulit, in Odyssea non invenitur nisi in loco spurio libri undecimi 612 (ubi signa in Herculis balteo iisdem fere verbis describuntur quae in theogonia Hesiodica 228 redeunt) et in colloquio Ulixi cum Agamemnonis umbra ibidem 416 (ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ). Sed σταδίη 5, 0 quod in Iliade bis N 314, 713 cum ὑσμίνη conjunctum ter elliptice positum est, in Odyssea frustra quaeritur. Χάρμη illic vicies bis hic in uno hemistichio Χ 73 ἀλλὰ μνησώμεθα χάρμης reperitur, quod cum plurimis aliis ex imitatione Iliadis in hoc carmen fluxit. Eadem ratio in eorum vocabulorum usu obtinuit, quae tumultum bellicum significant. Κυδοιμός 7, 0 κυδοιμέω 2, 0 μόθος 5, 0 κλόνος 8, 0 κλονέω 16, 0; κόναβος non reperitur nisi uno Iliadis loco K 122, κοναβέω sive κοναβίζω septem; ex Odyssea Seberus duo exempla affert κ 399 ρ 542, sed in decimo libro hodie καναχιζε legimus. Ceterum καναχή 3, 1 et καναχίζω sive καναχέω 1, 2 eadem fere proportione in utroque carmine inveniuntur. Haec omnis discrepantia quin ex argumenti

---

*) Duos locos ο 146, 191 Seberus falso posuit sub ἐρίγδουπος.

non e sermonis diversitate nata sit, extra dubitationem positum esse existimo. Accedit quod ubicunque narratio Odysseae in has res incidit, eadem illa vocabula in Iliade tam trita recurrunt; ut ejusmodi locutiones non ex Iliade expressas sed ut ita dicam ex epici sermonis penu quae omnibus his poetis communis fuit depromtas esse facile intelligatur. Nam φύλοπις quod Ilias undeviginti locis habet, ter in Odyssea admissum est: λ 313 de pugna quam Aloidae coelitibus minantur, π 268 de pugna Ulixi et suorum cum procis committenda, tertius locus ω 475 paene immutatus ex Iliade Δ 15 desumtus. Etiam μῶλος quod in Iliade sexies legitur, semel in altero carmine usurpatum est de pugilatione qua Ulixes et Irus certant σ 232. Similiter aliae voces quae in Iliade tumultum bellicum significant in Odyssea ad alia strepitus genera transferuntur, sicut ὅμαδος 13, 1 illic plerumque de pugnarum fremitu, hic de eo quo Elpenor in tecto dormiens e somno excitatur κ 558 κινυμένων δ' ἑτάρων ὅμαδον καὶ δοῦπον ἀκούσας, cui versui concinnando ansam praebuisse videntur loci Iliadis I 573 Ψ 234. Quid quod verbo ὁμαδέω praeter versum in Odyssea quinquies repetitum μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα Homerus omnino nunquam usus est? φλοῖσβος non est nisi in Iliade, ubi semper de proeliorum strepitu dicitur 4,0; de πολύφλοισβος 6, 1 epitheto maris multisoni infra dicetur. Jam apparet cur in usu vocabulorum quae clamorem significant tantum intersit in utroque carmine. Nam substantivi ἀυτή Ilias paene sexies tanto plura exempla habet quam Odyssea (23, 4), sed longe major distantia est inter summas exemplorum verbi ἀυτεῖν quod illic quadragies quater, hic bis tantum invenitur: ζ 117 αἱ δ' ἐπὶ μακρὸν ἄυσαν, ὁ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεύς et ω 59 ἤυσεν φωνῇ, κατὰ δ' ἔσχεθε λαὸν ἅπαντα. Ab hujus verbi usu pendet usus adverbii διαπρύσιον 7, 0, quod ei quasi quodam privilegio adhaerere solet (nam sex locis cum ἤυσεν conjunctum est, septimo est πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκώς Ρ 748). Reliqua autem quae modo memoravi vocabula ab Odyssea non prorsus exsulare vides, quippe quae varia clamoris et strepitus genera notare possint; sed vocabulum clamoris bellici ἀλαλητός (8, 1) locum non invenit nisi in parte spuria libri postremi ω 462 οἱ δ' ἄρ' ἀνήιξαν μεγάλῳ ἀλαλητῷ, quod qui scripsit clausulam ex Μ 138 mutatus est.

Quo magis igitur aliquod vocabulum in pugnarum descriptionibus proprium locum habet, eo magis ab Odyssea alienum est, etsi

casu fieri potuit ut semel vel iterum aditum inveniret. Quod praeter ea exempla quae adhuc attuli plurimis aliis probatur. Nunquam enim in Odyssea leguntur ἐπίκουρος (32, 0). φάλαγξ 33, 0 (et φαλαγγηδόν 1, 0) στίξ (41, 1, sed locus Odysseae qui est α 100 rationi inferendus non est, nam eum male translatum esse ex Ε 747 jam observavit Aristarchus) ἱππεύς 21, 1 ἱπποσύνη 6, 1 (neque hi Odysseae loci inter justa exempla numerari possunt, nam uterque in parte spuria extremi libri est ω 40 et 70, et ille ne huic quidem carmini proprius sed ex Π 776 desumtus κεῖσο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων) ἡνίοχος 30, 0. (ἡνιοχεύς 4, 0, ὑφηνίοχος 1, 0). Sed ἡνιοχεύειν 3, 1 in Odyssea quoque adscitum est ubi Nausicaam poeta fecit mulas currui junctas habenis regentem ζ 69 ἡ δὲ μάλ' ἡνιόχευεν ὅπως ἑποίατο πεζοί. Qui versus nullam Iliadis imitationem prodit; apparet igitur si res saepius memorata foret, futurum fuisse ut etiam vocabulum pluribus locis legeretur. Quod ἄντυξ 13, 0 in Odyssea numquam reperitur, εὔτροχος 7, 1 (quod substantivis ἅρμα et ἅμαξα apponitur) semel ζ 72 eandem causam esse patet. Duces agminum Ilias plurimos habet Odyssea nullos, unde vocis ἀγός (plerumque in clausula ἀγὸς ἀνδρῶν usurpatae) hic nullum exemplum, illic viginti duo. Contra ἡγεμών quod Ilias viginti tribus locis habet, etiam in Odyssea bis invenitur, sed his locis non de duce militari sed de duce viae sermo est, κ 505 μή τί τοι ἡγεμόνος γε ποθὴ παρὰ νηὶ μελέσθω ο 310 ἀλλά μοι εὖ τ' ὑπόθευ καὶ ἅμ' ἡγεμόν' ἐσθλὸν ὄπασσον. Ἡγεμονεύειν quod utrumque ducendi genus complectitur aequa proportione in utroque carmine legitur 19, 14, nec minus ἡγήτωρ quod non modo de imperatoribus bellicis sed etiam de principibus civitatum dici notum est.

Tres voces in poesi Homerica notionem hostis exprimunt δήιος δυσμενής ἀνάρσιος, quae et aliis nominibus apponuntur et pro substantivis usurpantur. Ex his δήιος Iliadi proprium est, quippe quod de eo potissimum dicatur qui perdat concidat trucidet, unde cum πῦρ et πόλεμος conjungi solet (44, 0) nec δηιόω quod Ilias sedecim locis habet in Odysseo pluries quam bis legitur (δ 226 ἀδελφεὸν ἢ φίλον υἱόν Χαλκῷ δηιόῳεν ι 66 οἳ θάνον-Δηωθέντες) nec δηιοτής (in Iliade vicies sexies adhibitum) pluries quam ter. Horum locorum unus λ 516 πολλοὺς δ' ἄνδρας ἔπεφνεν ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι ex Iliade Χ 229 expressus est, secunda verbi persona in tertiam mutata, alter in eandem tritissimam clausulam exit μ 257 χεῖρας ἐμοὶ ὀρέ-

γοντες ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι, tertius est ζ 203 δηιοτῆτα φέρων. Quae exempla luculenter ostendunt non harum vocum usum in Odyssea vitatum esse sed notionem ab argumenti natura abhorruisse. Contra δυσμενής utrique carmini commune est, nam inimici et malevoli Ulixi redeunti adversantur vel insidiantur plurimi. Tertium ἀνδρόσιος fere sola Odyssea habet (1, 5), quippe in qua frequentata sit formula ἀνδρόσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσῳ, cujus adhibendae in Iliade vix unquam fuit occasio.

Armorum quum duplex sit genus — aut enim ad nocendum sumuntur aut ad corpus tegendum induuntur — illorum in Odyssea non raro mentio facta est, quoniam pace quoque a viris in publicum prodeuntibus gestabantur; sed partes e quibus constant non facile memorantur, nisi ubi proelia uberius et fusius describuntur. Etiam epitheta armorum ei potissimum carmini propria sunt, in quo substantiva frequentantur, ut tamen alterum eorum non prorsus careat exemplis. Ex his δολιχόσκιον quod cum ἔγχος conjungitur, non omnibus hastis proprie convenit sed iis quae e manibus emissae feruntur. Unde non mirum est Iliadem hoc quater tanto amplius habere quam Odysseam (21, 5). Loci Odysseae hi sunt: τ 438 ubi hemistichio κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος ex Η 213 expresso Ulixes adolescens describitur aprum incessens; praeterea bis in eo libro invenitur quo caedes procorum narratur (χ 95, 97) et in postremo ubi versus in Iliade celebratissimus αἶψα μάλ' ἀμπεπαλὼν προΐει δολιχόσκιον ἔγχος bis repetitus est (518, 521). At ὀξυόεις quod in Iliade decies positum est, in Odyssea semel tantum (τ 33), μείλινος illic duodecies cum nominibus ἔγχος et δόρυ conjunctum in Odyssea omnino non legeretur nisi semel de limine fraxineo sermo esset ρ 339 Hinc apparet etiam ceterorum epithetorum raritatem nullam aliam causam habere nisi raram hastarum commemorationem. Ceterum μελίη 13, 3 locis legitur, ἐυμμελίης 5, 1 (γ 400.). De tribus autem vel quatuor partibus e quibus hastae constant, cuspidem dico et hastile superne circulo ferreo circumdatum ferramentumque infimum, ne una quidem in Odyssea reperitur: ξυστόν 6, 0 οὐρίαχος 3, 0 σαυρωτήρ ἅπαξ εἰρημένον Κ 153 πόρκης Ζ 320 qui versus repetitus est Θ 395; et quod mireris αἰχμή quod in Iliade tricies sexies, in Odyssea ne semel quidem legitur, quamquam αἰχμηταί non desint (24, 4.). Alterius vocabuli quod cuspidem significat ἀκωκή sunt quidem in Odyssea duo exempla (in Iliade tredecim), sed uterque

versus ex Iliade desumtus est, τ 453 ἀντικρὺ δὲ διῆλθε φαεινὴ δουρὸς ἀκωκή ex Λ 253, χ 16 ἀντικρὺ δ' ἁπαλοῖο δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή ex Ρ 49.

His etiam rariora in Odyssea sunt vocabula armorum quae ad corpus muniendum induuntur, nam praeter μνηστηροφονίαν his usurpandis locus fere nullus est, exceptis iis quae ad indumenta domestica transferri possunt Velut κνημίς (7, 1) eo sensu dictum ut sit militum ocrea non est nisi in Iliade, sed in Odyssea caligas rusticas significat quae tibias a spinarum puncturis defendunt ω 228. Ζωστήρ (16, 1) in Iliade ubique vinculum est quod loricam constringit, in Odyssea cingulum quo tunica corpori adaptatur, ζῶστρον ἅπαξ εἰρημένον est ζ 38 ζῶστρά τε καὶ πέπλους καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα. De reliquis armaturae partibus et galeae et scuta in Odyssea aliquoties memorantur, maxime in libro vicesimo altero, sed loricae ne hic quidem quum proci armis subito correptis se tueri coacti sint. Unde θώρηξ (35, 0) et θωρηκτής (5, 0, quod uno loco φ 429 *) excepto ubique genetivo plurali positum) ab Odyssea exsulant; sed θωρήσσω (39, 3) ter admissum est, cum casu tum quia ejus sensus paullo latius patet. Etiam κορύσσω et κεκορυθμένος (21, 3) in Odyssea raro, κορυστής (5, 0) et nomina cum eo composita ἱπποκορυστής (5, 0) χαλκοκορυστής (9, 0) numquam leguntur. Vocabula quibus variae galearum et cassidum species distinguuntur praeter ἅπ. εἰρ καταῖτυξ Κ 258 omnia Odyssea habet quamquam multo rarius quam Ilias: κυνέη 19, 8 πήληξ 9, 1 κόρυς 36, 2 τρυφάλεια 14, 1. Sed frustra quaeruntur epitheta αὐλῶπις 4, 0 ἱππόκομος 5, 0; quod autem ἵππουρις (6, 1) semel legitur χ 124, id nullius momenti est, nam versus ἵππουριν δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν cum praecedentibus et sequenti ex Iliade depromtus est, ubi quinquies redit. Nec φάλος (7, 0) in Odyssea invenitur; λόφος (12, 3) crista galeae in Iliade decies est, in Odyssea praeter versum modo allatum χ 124 numquam; reliquis duobus locis Iliadis et uno Odysseae collem significat. Quot exempla vocabuli σάκος attulerit Seberus numerare piguit, alterius nominis ἀσπίς plus nonaginta sunt: illud in Odyssea duodecies hoc ter legitur, epitheton ὀμφαλόεις semel τ 32 (12, 1; et ὀμφαλός illic septies, hic semel de meditullio maris α 50) ἀμφιβρότη numquam (4, 0). Etiam ἀσπιστής cujus genetivo plurali in Iliade

*) Hoc loco ubi Bekkerus dedit θωρηκτῇσι, Seberus legit θωρηκτοῖσι.

undecim versus clauduntur — neque ceteri casus inveniuntur neque hic in reliquis versus pedibus — in Odyssea frustra quaeritur. Ἔντεα (31, 3) quod totam armaturam complectitur, non invenitur nisi τ 17 φ 368, praeterea η 232 ἔντεα δαιτός. Contra ὅπλον et ὅπλα pluribus Odysseae quam Iliadis locis legitur (6, 10), quoniam non modo arma sed instrumenta cujusvis artis laborisve indicat, maxime nautica. Idem valet de ὁπλίζω (6, 14).

Metallorum nomina, utrique carmini communia sunt omnia praeter κασσίτερος (9, 0), non quo stannum (sive quidquid hoc nomine notatum fuit) Odysseae poetis ignotum fuerit, sed quod illis temporibus ad arma potissimum obducenda emblematisque varianda videtur adhibitum esse. Nam quum in Iliade legatur novies, octo locis sermo est de stanno aeneis armis illito, uno Ψ 503 describuntur ἅρματα χρυσῷ πεπυκασμένα κασσιτέρῳ τε. Epitheton aeris νῶροψ (6, 2) cur Odyssea non habeat nisi in versu ex Iliade in postremum librum bis translato αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἕσσαντο περὶ χροῒ νώροπα χαλκόν ω 467, 500: id explicatione jam non indigere puto. His omnibus autem consideratis apparet etiam cur vocabula splendoris et nitoris multis partibus frequentiora sunt in Iliade, quippe ubi toties arma splendentia describantur: παμφαίνω 8, 0 (quinquies de armis) παμφανόων 15, 4 (in Iliade decies de armis) μαρμαίρω 9, 0 (septies de armis) λάμπω et semel λαμπετόω 21, 1 (in Il. plerumque de armis, φ 290 δαΐδων ὕπο λαμπομενάων) λαμπρός 10, 1 (in Iliade quinquies de armis, τ 432 λαμπρὸς δ' ἦν ἠέλιος ὥς); sed λαμπτῆρες qui in Odyssea ter memorantur in Iliade nulli sunt.

His enarratis transeo ad verba quibus varia et proeliorum casus vicissitudines notantur, quae paucis exceptis omnia Iliadi propria sunt. Quorum prima ponam ea quae in pugnis singularibus depingendis Homerus frequentavit. Huc pertinent verba quae vim caedendi pungendi rumpendi habent: νύσσω 25, 1 (ξ 458 ἀγκῶνι νύξας) ἀποτμήγω 6, 0 (nam κ 440 ubi Seberus ἀποτμήξας habuit nunc ἀποπλήξας legitur) ῥήγνυμι vel ῥήσσω 48, 1 (μ 409 ἔρρηξ' ἀνέμοιο θύελλα) ἀναρρήσσω 3, 0 ἐκρήσσω 2, 0 ἐπιρρήσσω 1, 0 συρρήσσω 0, 1 (θ 137 κακοῖσι συνέρρηκται πολέεσσιν) ὑπορρήσσω 2, 0. Deinde his adnumeranda quibus concutiendi et vibrandi notio subjecta est: πελεμίζω 10, 1 (φ 125 τρὶς μέν μιν πελέμιξεν (arcum) ἐρύσσεσθαι μενεαίνων) ἀμπεπαλών 8, 2 (ω 519, 522 quos jam supra attuli in exemplis epitheti δολιχόσκιον). Sequantur quae motum concitatum

et intentionem virium significant: *ἐρωή* (*δουρὸς βελέων πυρὸς πολέμου*) 13, 0 *ἐρωέω* 9, 2 (*μ* 75 *τὸ μὲν οὔποτ' ἐρωεῖ* *π* 441 *αἶψά οἱ αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί* = *A* 303.) *ἐξερωέω* 1, 0 *ὑπερωέω* 2, 0 *ἐμμεμαώς* 11, 1 (*φ* 129 quem Seberus praetermisit, male translatus ex *N* 785) *μαιμάω* 6, 0. Neque casu factum putaverim quod *λαιψηρός* 10, 0 et *αἰψηρός* 1, 2) Ilias fere sola habeat. In idem genus cadunt verba quae proruendi potestatem habent: *ἐρείπω* 24, 1 (in Iliade vicies semel tertia persona aoristi secundi positum, *χ* 296 *ἤριπε δὲ πρηνής, χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ*) *κατερείπω* 2, 0 *ὑπερείπω* 1, 0. His accedunt adjectiva et adverbia quae varias cadendi vel collabendi figuras indicant: *ὕπτιος* 14, 2 (*ι* 371 *ἦ καὶ ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος* *σ* 397 *αὐτὰρ ὅ γ' οἰμώξας πέσεν ὕπτιος ἐν κονίῃσιν*) *πρηνής* 17, 1 (*χ* 296 quem modo attuli; prius hemistichium depromtum est ex *E* 58, cujus altera pars *ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ* cum huic loco non conveniret, clausula adglutinata est hic et *χ* 94 ex *ε* 374 *αὐτὸς δὲ πρηνὴς ἁλὶ κάππεσε παντὶ μετώπῳ*) *προπρηνής* 2, 1 (*χ* 98 ubi pro dativo quem Bekkerus dedit accusativus ponendus est) *γνύξ* 6, 0 *λάξ* 6, 2 (*ο* 45 *λὰξ ποδὶ κινήσας* jam ab Aristarcho obelo et asterisco notatus, *ρ* 233 *λὰξ ἔνθορεν ἀφραδίῃσιν*). Sed *πύξ* tot locis Odysseae quot Iliadis legitur (4, 4), quoniam apud Phaeaces quoque certamina pugilum eduntur sicut in ludis funebribus Patrocli. Addo vocabulum *ἀγοστός* quo non usus est Homerus nisi in formula de iis qui transverberati cadunt quinquies posita *ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ*, cui in Odyssea locus non fuit. Ceterum vocabula singularum corporis partium *ἅπαξ εἰρημένα* sunt fere omnia cf. Schneidew. Philol. VI, 239. Eadem ratio obtinet in usu verborum quae corporum proruentium et armorum casu concussorum strepitum et fragorem indicant, *δουπεῖν* dico et *ἀραβεῖν*. De hujus verbi formis unum *ἀράβησε* frequentatum est, quod decem locis Iliadis legitur, unde semel in ultimum librum Odysseae translatum est *ω* 525 (*ἄραβος ἅπ. εἰρ.* est *K* 375). De viginti exemplis verbi *δουπέω* quae sunt in Iliade duodeviginti eandem aoristi primi formam exhibent, in Odyssea duobus locis modo citatis legitur *χ* 94 *ω* 525 (substantivum *δοῦπος* 8, 5). Restat ut verba afferam quae notionem spoliandi aut solam habent aut notioni occidendi subjunctam aut solam occidendi: *συλάω* 21, 0 *συλεύω* 2, 0 *ἔναρα* 12, 0 *βροτόεντα* 9, 0 (quod octies cum *ἔναρα* semel cum *ἀνδράγρια* conjunctum est) *ἐναρίζω* 13, 0 *ἐξεναρίζω* 34, 2 (*λ* 272 *ὁ δ' ὃν πατέρ' ἐξεναρίξας γῆμεν* *χ* 264 *ἡμέας ἐξεναρίξαι ἐπὶ*

προτέροισι κακοῖσιν) *ἐναίρω* 16, 2 (τ 263 μηκέτι νῦν χρόα καλὸν ἐναίρεο ω 424 τὸν πρῶτον ἐνήρατο δῖος Ὀδυσσεύς). *Κατεναίρω* non legitur nisi λ 519 ἀλλ' οἷον τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ. Agmen claudat *σκότος* quod in Iliade decies invenitur in phrasi τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν, ter in simili στυγερὸς δ' ἄρα μιν σκότος εἷλεν. Non est igitur quod mireris in Odyssea hanc vocem semel tantum legi ποτὶ δὲ σκότον ἔτραπετ' ἄλλῃ τ 389 et praeterea compositum *σκοτομήνιος* ξ 457; nam in Iliade omnino non legeretur, nisi in illis formulis locum invenisset.

Sed finem facere hujus loci angustiis cogimur; prima autem quae dabitur opportunitate utemur ut inchoata quantum quidem poterimus absolvamus. Hoc autem nobis concessuros esse lectores speramus, discrepantias inter Iliadem et Odysseam quas adhuc enarravimus ex argumenti non ex orationis diversitate natas esse omnes.